

tutiones solent diversis nominibus designari, attenta earum materia et forma; attenta materia, dicuntur *decreta*, *decretales epistolæ*, *litteræ encyclicæ*, prout eduntur, vel motu proprio, vel ex aliorum consultatione aut relatione, vel diriguntur ad episcopos totius orbis aut alicujus regionis; attenta forma Constitutiones nuncupantur *bullæ* vel *brevia*. Sebastianelli, lit. II, De Romano Pontifice.

Bullæ eduntur in caractere theutonico et sub sigillo plumbeo; hanc bullarum formam immutavit Leo XIII, statuens ut in futurum illæ litteræ apostolicæ scriberentur in caractere latino cum sigillo rubri coloris, referente imagines Apostolorum Petri et Pauli et nomen pontificis regnantis. Solemnis bullarum forma reservatur actibus solemnioribus sanctæ sedis. Brevia eduntur in caractere latino, cum sigillo rubri coloris referente imaginem Petri extrahentis retia ab aquis; hæ litteræ dicuntur emanatæ *sub annulo piscatoris*.

13. **Alius fons juris, qui reducitur ad auctoritatem Summorum Pontificum, habetur in decretis conciliorum.** Concilium est vel *generale* vel *particulare*; concilium *generale*, quod vocant *œcumenicum*, est illud quod convocatur auctoritate Summi Pontificis, celebratur sub ejus præsentia vel saltem sub præsentia ejus delegati, et confirmatur ejus auctoritate. Concilia œcumenica XIX numerantur: Nicænum I (325), Constantinopolitanum I (381), Ephesinum (431), Chalcedonense (451), Constantinopolitanum II (553), Constantinopolitanum III (680-681), Nicænum II (787), Constantinopolitanum IV (869-970), Lateranense I (1123), Lateran. II (1139), Lateran. III (1179), Lateran. IV (1215), Lugdunense I (1245), Lugdun. II (1274), Viennense (1311), Florentinum (1439-45), Lateran. V (1512), Tridentinum (1545-63), Vaticanum, 1869, quod suspensum manet. Exierunt plures collectiones decretorum conciliorum quæ referunt, præter definitiones dogmaticas, multas leges disciplinares Ecclesiæ. Sanguinetti, Jus Eccl. p. 49.